DE
RELIGIOSO MEDICI OFFICIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONCESSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XIII. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLI.

PUBLICE DEFENDET

IOANNES BAPTISTA BEURIGER

MARCIACUS.

OPPONENTIBUS:

CAROLO WALTER, DR. MED. PRACT.
LUDOVICO MUELLER, DR. MED.
GUILELMO BROES VAN HEEKEREN, CAND. MED.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGII.

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO.

PRAEFATIO.

Cum ante hos octo menses circiter mihi proposuissem, ut de ascite quam diligentissime et quaererem et dissererem, atque in ea materia tractanda iam aliquantulum essem provectus, ingratissimum illud mihi accidit, quod, quem eam ob causam id temporis curandum susceperam, aegrotus inopinato curae meae subtrahebatur. Quod eo magis dolebam, quo firmius mihi fuit persuasum, tali dissertatione, quae de ascite diligenter esset scripta, posse aliquid certe emolumenti et rei litterariae et aegrotantibus ipsis parari. Illo autem casu, quominus longius in dissertatione mea elaboranda procederem, prohibebar. Circumspicienti igitur aliam materiam, cui tractandae digne possem operam meam quantulamcunque navare, peropportunum mihi auxilium Nassii, professoris amplissimi, quem praematura mors et suis et generi humano eripuit, consilium praebuit. Ille enim hortatus est me et iussu suo quodammodo obstrinxit, ut incumberem in dissertationem „de religioso medici officio“ lucubrandam, quippe qua de re vir semper mihi pio gratoque animo colendus, quid ipse cogitaret, interdum communicaverat mecum et communicaturum se esse promiserat, cum invida mors subito illud lumen extinxit, cui et ego et tot alii tanta debemus beneficia. Quo extincto, quod ille me iusserat, quin pro sancto aliquo pietatis officio esset habendum nullo modo dubitabam.

Sed est profecto, cur timeam, ut illud officium digne iussu venerabilis illius senis praestare possim. Nam neque quisquam diffitetur, neque ego diffiteri possum, huic labori vix posse omni ex parte satisfieri, nisi ab eo, quem et haud paucorum annorum experientia idoneum reddiderit ad tale opus omni parte absolvendum.

Attamen licet ab illo timore prorsus liberare me non possim, cum illud me consolatur, quod, ut vires desint, tamen voluntas est laudanda, tum maximam in spem venio, fore, ut aliquatenus certe penso meo satisfaciam, propterea quod cum professoribus amplissimis, doctoribus clarissimis nosocomii Bonnensis consuetudo haud spernenda mihi subsidia suppeditat de medico, qualis esse debeat, scripturo. Haec autem ipsa spes, quin ab instituto opere deterrear impedit. Etenim quamvis sciam ad provehendam scientiam medicinalem soleri dissertationem exhiberi, res, quae mere ad litteras spectent, amplectentem, stat tamen, ut mihi videtur, sententia eorum, qui artem nostram tam progressibus, quos in litteris facimus, quam dignitate eius conservanda defendenda, augenda dicunt promoveri. Quapropter non diffiteor, sperare me confidenter et hoc meum qualecunque opusculum in bonam partem iri acceptum.

Viel hat der Mensch noch an sich zu bessern eh' er in die Speichen der Organisation eingreifen, die Natur bevormundschaften und sich zum Wegweiser ihrer Verirrungen aufwerfen kann.

Reil.

Πολλοι θαμαζουσιν, ὀλιγοι γιγνωσκουσιν!
Hippocrates.

Miro quodam modo plerorumque hominum animus videtur ita esse comparatus, ut, si quem probitate omnibusque virtutibus videant excellere, eius potissimum calumniandi occasionem qualemcunque arripiant. Quod cum in universum valeat, constat tamen, quo augustius hominis alicuius excellentis sit munus, quoque remotius ab inanium cura, eo et frequentioribus et acrioribus illum esse obnoxium criminationibus. Neque dubitari potest, quin idem in medicinam cadat, quam nemo diffitebitur eximium quendam inter ceteras artes locum obtinere. Ea enim antea diu propter eorum, qui eam exercebant, ignorantiam iacuit despecta, nunc vero, cum ad altiorem quendam gradum evolaverit, tamen nonnunquam propter fortuita aliqua vitia vehementer increpatur, ita ut vix pari atque ceterae artes videatur veneratione frui. Ut omittam, quas parvi ducere nos oportet criminationes temere iu-

dicantium, ad illas solas animum advertam, quae oriuntur ex iis medicis, quibus nonnisi nominis nulla cum medico genuino est communitas, qui, cum renuissent desudare in theoria, empirici veniunt ad lectulos, quemadmodum rostrum ad ciboria porrigit asellus. Qui quidem personarum, quae in tragoediis producuntur simillimi videntur; quemadmodum enim formam quidem, habitum et personam histrionis referunt, neque tamen histriones sunt, sic et medici nomine quidem multi, reapse perpauci.

Perversissima autem ratio est, quae aliquorum culpam ad omnes refert, ideoque totam artem, quae ab iis colitur, minoris facere nos iubet. Quae ratio si non paucorum quorundam eorundemque haud ita magni aestimandorum esset propria, sed hominum vel litteratorum vel humanitate imbutorum omnium, actum profecto esset de medicina neque ulli ex ea fructus salubres in posterum hauriri possent. Ita enim si res se haberet, tantum abesset, ut in medicinam colendam probus aliquis et ingenuus homo incumberet, ut si incubuisset aliquantum temporis, brevissime ab illo studio abhorreret, quippe quod nullatenus dignum esset, cui aliquae navaretur opera. Sed omnia illa medicinae opprobria ex duobus fontibus manant: invidia cum avaritia et superbia coniuncta ignorantia, quam dixit Galenus indelebile vitium esse vehementem ignorantiam, praesertim si cum superbia coniungatur et tunc a Graecis *φιλαυτία* dicitur.

Quorum medicorum longe maxima pars tantopere gravitatis illius, quam muneri ipsis impenso inesse omnes homines bonae frugis uno ore consentiunt, est immemor, ut vix ullam aliam ob causam arti eos se devovisse pateat, nisi ob quaestum, qui inde percipi potest, lucrosum. Ab eorum autem sordibus longissime absunt, imo vero eas intimo ex pectore et contemnunt et execrantur ii, qui studio votisque, quantum ex viribus succurrendi impulsi penitus arti se dedunt; ii brevi

optime de genere humano merebuntur et dignitatem artis, cuius capti sunt amore adaugebunt.

Qualis autem debeat esse medicus quibusque satisfacere officiis, ut ei habeatur honos verecundia et gratia sequentibus, quantum mihi inest, ostendam.

Qua in re quis dubitare potest, quin aptissime ita in describendis religiosis medici officiis agamus, ut prima eius officia deberi dicamus Deo, rerum omnium moderatori et architecto, optimo generis humani medico, de quo omnis nostra scientia, cui debita veneratio cum profundissima animi prostratione iure meritoque exhibeatur. Etenim negari nequit, medicum ipsum, nisi scientiam suam et impertitam sibi esse a divino aliquo numine et ad communem utilitatem ab eo regi persuasum habeat, vix ullos in illa fructus consequi posse, cum nimis suis ipsius viribus confisus, saepissime si sibi constare voluerit, periclitari vitam aegrotantium, ex eius arbitrio pendentium coactus sit. Sed fortasse quispiam dixerit, id quod revera iam multi quovis tempore objecerunt, illi sententiae nostrae quasi e diametro repugnare notissimum illud proverbium: „ubi tres medici, duo sunt athei.“ Quin etiam hoc ipso ex proverbio, cum videretur aliquam veri speciem praebere, multi sibi concludendi potestatem sumpserunt, sententiam nostram firmo omni carere fundamento, cum nihili referret, utrum medicus divini alicuius numinis persuasionem sibi effinxisset, nec ne. Sed cave, quaeso, credas, non posse iustam illius proverbii rationem impugnari. Primum enim videtur illud originem debere temporibus, quibus homines ex perversa fortasse nonnullorum medicorum vitae degendae ratione proni erant ad atheismi suspicionem movendam, quamvis non constaret neque constare posset, num perversitas illa medicorum ex atheismo repetenda esset, an non potius negligentiae alicui vel socordiae tribuenda. Qua propter ne verum quidem esse illud proverbium, veri est simillimum. At-

tamen ut verum sit, quod non concedimus, non inde continuo sequitur, sententiam nostram esse labefactatam. Nam licet atheus medicus scientiam suae artis et peritiam sibi comparare possit, quae aliqua ex parte ad medici iusti, eiusque, quem nos volumus perfecti officia praestanda iuvet, illud tamen nullo modo improbari potest, quod diximus, scientiam medicam tum demum firmo aliquo fundamento niti, si ei subiecta sit divini numinis existentis omniaque gubernantis persuasio.

Quin etiam historia hac in re luculentissimis nobis succurrit exemplis, quibus demonstratur, omnis aevi medicos consummatissimos una divini numinis cultores fuisse. Audiamus, quid de pietate erga deum dicat sapientissimus ille senex medicinae, Hippocratem intelligo: „Nam et illorum cognitionem ipse medicus potissimum animo complectitur, cumque aliis in affectibus et casibus medicina multum deos colere comperitur, tum vero medici diis plurimum concedunt.“ Ipseque ne a pietate abirent medici sacramento obstrinxit. „Quicunque, ait, medica recte tractare velit, eum oportere primo a diis exordiri.“

Exulet igitur detestabile illud in medicae artis scandalum excogitatum proverbium „ubi tres medici, duo sunt athei“ quod proverbium, qualem originem qualemque verisimilitudinem habeat scimus. Nam nemo mortalium magis quam medicus de contrario victus esse potest, nec suis doctrinae principiis longius ab atheismo distat, utpote naturae indagator atque in minimis quoque numinis inventor, qui iugiter tam in macrocosmi quam microcosmi examine in divini architecti summam admirationem rapitur sibique probe concertum habet, Dei omnia plena ac miraculis cuncta referta esse. Ut igitur medicus deum suum omnis naturae autorem mentemque divinam effectuum omnium idearumque possibilium causalem abyssum ac primam radicem debito veneretur cultu,

omnium primo unica eius sit cynosura: „gloria Dei ac salus proximi!“ lemma eius et suprema lex.

Quam ob causam iam id pro certo habendum sit, debere medicum cogitare omnem medelam a Deo proficisci, non solum, quia ipse humano generi largitur herbas, per quas sanatio fit, sed etiam quia effectus et operatio medicorum auxiliorum ex deo pendet. Absit igitur tumida illa nonnullorum arrogantia, iactantium se suis viribus, sua operatione aegrotis bonam valetudinem restituisse. Medicus enim plantat, rigat, visitat languentes et remedia sane adhibet aegrotis, sed ea remedia, quae, nisi Deus Optimus Maximus ei suppeditasset ne existere quidem scire potuisset, vel si reperisset, non qua ratione tractanda essent, scivisset.

Omnino denique in curandis hominibus Dei auxilium imploret necesse est. Etenim quam parum saepius optimus quisque medicus valere iudicio, quam imbecillem se esse vidit videbitque, si, ad lectum versans hominis vel corpore vel animo graviter aegrotantis, imperitiae tenebris circumfusus, quonam cum morbo rem habeat, quaeque ad eum fugandum iuvent remedia nescit. Tum ne conscientia quidem, se tempore opportuno, quae potuisset omnia discere enisum fuisse, satis solatii affert, nisi animum advertat ad deum ab eoque ut et consilio et re iuvet ipsum imploret. Hoc modo atque eo solo potest aequam rebus in arduis servare mentem.

Quod si in iis, quae praecedunt, exposuimus, qualem medicus se erga deum quod ad artem suam exercendam attinet, gerere debeat, iam nostrum esse putamus, accedere ad ea medici officia explananda, quae in homines ipsos praestare eum oportet. Qua in re non possumus, quin ab iis potissimum officiis initium capiamus, quae certa aliqua ratione cum priore disputationis nostrae parte videntur cohaerere arctissime. Postulari enim ab eo medico, qualem adumbravimus, iure et potest et debet, ut admoneat aegrotos pietatis. Qua-

lis vero medici religiosa admonitio esse debeat patet. Debet fieri cum circumspecta aliqua lenitate, quae longissime abest a rigore, ita tamen, ut si forte aegrotus admonitioni illi parere noluerit non eam ob causam medicus eius curationem negligat. Nam inhumanum illud et perversissimum est, quod aliqui iubent, aegroto curam denegandam esse, nisi tertio morbi die confessus sit, cum cura neglecta moriatur desperatus, qui sanatus poterat servari. Unde suadeam, ut medicus interdum non ipsi infirmo sed huius necessariis et assidentibus tantum suam de animae cura mentem aperiat, ut hi, forsan facilioris admissionis, illum ad eam disponant et praeparent. Plerumque vero lubentius quam sacerdoti, qui sua in re iudex videri possit, lubentius quam zelotae, homo desertus infirmusque credet medico, et cui vitam expediendam huic etiam animam servandam concedet.

Persaepius iam in animo volvi, num sit medici, omni in casu aegrotum de mala ipsius valedutine deque vi morbi mortifera, simulac persuasam habet, certiorem facere.

Durissimum illud ac tristissimum mihi visum est officium nec nunquam illum tali iudicio in pessimam conditionem praecipitaturus videbar. Qua ratione ad veritatem vocata minime me latuit, ad utramque et corporis et animae salutem spectare. Licet primo momento aegrotus timore adstantis mortis percussus firmiter adhaerescat vitae atque acerrime, tamen brevi patienter et totum se accommodat ad divinum arbitrium, atque animi tranquillitas inde parata eiusque vis salutaris quoad morbi atrocitatem tanta interdum solet esse, ut ni saepius periculum sublatum, fere semper tamen aegrotum sorte sua contentum ac quietum inveniamus. Praecipue vero in morbis acutis, in quibus nullo temporis puncto intermisso vita periclitatur, huic officio satisfacere debet medicus, ut cum deo cumque familia aegroti ineant rationem. Neque licet periculum celare eos, qui morbo chronico exem-

pli causa tuberculosi pulmonum laborant, quippe qui omni hora rupto quodam ex ulceratione vase haemorrhagia subito interire possunt.

Iam explanatis his, ad ea officia pergamus necesse est, quibus per se medicus fungi debet, si arti suae exercendae ipsi satisfacere voluerit, quatenus ea cohaeret cum religiosa eius conditione. Qua in re primo iam intuitu cuique patebit rei publicae medicae nihil salubrius nil magis ex eius natura petitum esse, quam si medicae scientiae iungatur ille flos decori, illa pulchritudinis viva effigies, illud honestatis simulacrum, illud philtrum animorum ac magnes cordium, serenos etiam animos ad se non modo trahens sed etiam rapiens, virtutem moralem intelligo, quam in medico seu persona publica desiderant omnes.

Planum enim est post pietatem primum et amplissimum inter mores medicos locum obtinere humanitatem sive comitatem, qua in exercenda ad Hippocratis exemplum optime se conformabit, quicunque bene merendi studio praesertim in peregrinos atque egenos flagrat. Nam si erga homines amor atque humanitas adfuerit, erga artem idem amor comparebit. Scio quidem et difficillimum esse et vix posse satis determinatis finibus quaque oblata occasione describi, qua in re potissimum humanitas illa vel comitas consistat, vel certe esse longissimum, sed sunt tamen certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Quibus adumbrandis iam mihi opera danda est. Ne detrectet unquam auxilium suum medicus propter vocantis egestatem, cui opitulari una et de suis ipsius largiri caritas christiana eum iubet. Multi namque aegri, cum sciant se morbo minime salutari teneri, etiam medici probitate sanitati restitutos se esse gaudent celebrari. Caveat autem medicus a nimia humilitate et servili nimia summissione, quippe quae adulationis vel lucri inhiandi suspicionem atque contemptum apud aegrum movet. Seve-

ritas vero et Catonia austeritas odium, molestiam ac difficilem praebet accessum. Servet in hisce rebus mediocritatem atque cum humanitate gravitatem, hancque cum illa adspectu, sermone habitu corporis prae se ferat.

Iam ad eam virtutem transeamus, quae cum praecedente arctius, quam ulla alia est coniuncta, modestiam dico, quae quidem commendabilissimum reddit et amabilem animum medici. Ea enim superbiam animo, dicto, incessu gestuque emicantem ut summe detestandam fugiat et execretur, vel ex ea potissimum ratione, quod hoc vitium plerumque enormibus aliis tanquam satellitibus stipatum accedat, ut ambitione, vana gloria, iactantia, arrogantia, maledicentia et invidia, quae omnia medico sunt dedecori. Hac quoque in re audiamus praecepta Hippocratis, dicentis, oportere medicum esse animo modesto non solum quoad taciturnitatem sed etiam circa reliquam vitam probe compositum.

Maximopere etiam se commendabilem reddit medicus si taciturnitatis est quam studiosissimus. Multis quandoque affligitur imbecillitatibus corpus humanum, quas nemo patientium divulgari gaudet, memores inprimis verborum Verulammii, „homines aut delectari bono proprio aut malo alieno.“ Eadem enim fere officii sanctitas hac in re tenet medicum, quae confessionarium impedit, quominus, quas infirmitates ei commiserit aliquis, divulget. Quin etiam fortasse magis cavere debet hac in re medicus. Ille enim cum talia semper, cum ei aliquid confessi sunt homines, comperiatur, qualia iuri divino repugnare exploratum est, rarissime ea cum ceteris hominibus communicandi occasionem nanciscitur; medicum vero saepissime, simulac ab aegroto tractando abscessit, rogant homines, quanam re laboraverit ille, quem curavit. Ergo cautionem quam maximam observet medicus necesse est ne in consuetudinem illam detestandam irruat, levi-

ter de morbi genere, quo aliquis affectus fuerit, garriendi. Etenim ut ea res parvi sit in parvis vel levibus morbis, iis dico, qui non in culpa aliqua graviore aegroti positi sunt, momenti, quam gravissimum est medici officium, cum de morbis agitur contagiosis aliisque rebus, quae sane omnino decelare minime decet, sed per conscientiam obligatur medicus eiusmodi res significare iis, quorum interest, postulatus potissimum a magistratu et in foro.

Neque minore cautione indiget medicus, ne maxime necessariam illam postponat virtutem patientiae, qua difficillima eadem et magnanima ei opus est, ut adeo nunquam solus ad patientes visitandos egredi debeat nisi patientiae et mansuetudinis famulitio stipatus. Quotidianis enim interesse querelis, spectare calamitates, miserias, mortes, peragere itinera inter nives et frigora aestus et pluvios, vix dormire tuto, ne dum cibare, ferre quoque calumnias artis osorum, hic animis opus est et robore firmo. Tandem ut una imagine comprehensas proponam, quas appetere debeat medicus virtutes, requirere debet praecipue circumspectionem, prudentiam, providentiam, perspicaciam continentiam sobrietaten decentem ornatum et honestatem. Inprimis divinus senex sobrietatem medicinam sectantibus familiarem ac necessariam esse iubet. Fugiat ceu pestem vitam dissolutam, verba obscoena, ebrietatem omnemque ludum illicitum, nisi velit tam omnis aegrotorum ipsi commissorum fiduciae iacturam facere, quam et medici et hominis evitandi et fugiendi famam contrahere. Turpissimum vero, id quod per se patet, est, ebrietati indulgere medicum, quippe quae sanam pessumdet ratienem et omnes hominis bonos mores funditus evertere valeat. Quae quantopere medico sit fugienda ex eo praesertim apparet, quod haud raro tempore nocturno necessitas consilium urgeat, quo ebrius somno obrutus non potest excitari, sique tandem evigilet, temulentus est nec scit quid dicat aut praescribat. Longe ali-

ter sane virtuosi medici idea a veteribus sapientiae cultoribus ac ipso poeta describitur:

Sit virtutis amans medicus, pietate decorus,
Sit non tam lucri, ac cura salutis ei.
Non bibo, non epulo, non Cypridis ater alumnus
Quem sobria, et non quem sordida lingua probat.

Tum autem alienissimus sit medicus ab omni illicito corporis obsequio ac voluptatum illecebris. Si in ulla occasione, tum inprimis in feminarum curatione decorum in omnibus factis et dictis cernatur necesse est. Quamobrem medicus sit castus in verbis et factis quando aegrotantes visitat feminas. Castitatem iam ille, quem saepissime afferrendi occasio data nobis est, divinus senex Hippocrates sacramento praecepit dicendo „neque simili ratione mulieri pessum subdiditium ad foetum corrumpendum exhibebo, sed castam et ab omni scelere puram tum vitam tum aetatem meam perpetuo praestabo.“ Et quotus quisque, quaeso, est, qui coniugem filias et familiam fidat medico petulanti aut qui alieni cubilis corrumpendi amore ardeat?“

Famae igitur, decori ac iuramenti sui et praecepti divini haud oblitus medicus illicitas non tangat venas nec

Morborum Causas percandida brachia quaerat.

Luxuriem igitur penitus fugiat, nam in moderanda voluptate sita est continentia, in laxando frena ingluvies atque luxuria. Vagam igitur peregrinamque venerem prorsus detestetur et omnem petulantiam quae homines reddit belluis simillimos animumque brutum et sapientiae fugientem.

Tum vero etiam sinceritatis, quam maxime appetentem esse oportet medicum; laudet bonos candide et linguam obtrectatricem exosam habeat, malos toleret, minoribus indulgeat, pares ferat ac maioribus cedat, et quod ab aliis exspe-

ctat, idem promptissime praestet singulis, et cunctis prodesse studeat, nocere autem nemini. Denique adversos alios non sit irae tenax et offensorum memor sed ad socordiam facilis. Qui enim multos sibi paraverit adversarios vel multos aliquo modo graviter offenderit, non poterit plurimis gratus esse nec subinde aliquam sibi laudem conciliare. Nihil igitur tam medico conducit quam ut sit omnibus acceptus. Caveat autem quam accuratissime, ne sit superbus medicus, sed pauperes et divites, servos et liberos cuiuscumque nationis et confessionis pariter cura sua amplectatur et prosequatur. Una enim apud omnes est medicina. Denique cum artis perfectione conveniat probitas morum, ut enim ex Erasistrato Soranus refert, felicissimum quidem est, ut et in arte sit perfectus medicus et moribus optimus; sin autem unum de duobus defuerit, melius est, modestis moribus, quod in arte deest, repensari, quam morum culpa perfectam artem corrumpi et improbari. Sed de hac re puto constare; accedamus ad alias virtutes, quibus medici animus exornatus atque perpolitus esse debet, si velit boni medici famam acquirere. Quas tot tantasque Hoffmannus iubet esse in medico, ut dubitari possit, num virtuti an arti medicae maiorem navaverit operam. Quae quidem animi virtutes necesse est opportuno corporis habitu, vestitu et incessu illustrentur atque emineant. Ea autem res quanti sit momenti docuit Hippocrates in illo „de decenti ornatu" libro. Decere autem medicum corporis bonum habitum, paucis exponam.

Etenim qui non sunt studiosi bonae corporis habitudinis, vulgo existimantur ceterorum curam non recte habere posse meritoque vulgatum illud obiici potest: „Cura te ipsum!" Hippocrates in illo „de medico" libro valetudinis propriae curam ipsi medico commendat. Et sane stat penes plerosque sententia, illum, qui sibimet mederi nequeat, nec alios decumbentes sanare posse· „Curet primo se, ac tum me illi dabo!"

Nam illud monere vix opus esse puto, ad studiorum et praxeos sustinendos labores firmam requiri valetudinem.

Vestitus visitantis medici iuxta effatum divini senis honestus sit et decorus. Sicuti vestitus valde sumptuosus arrogantiam sapit ita sordidus et nimium vilis, vel quaestum exilem vel egestatem vel avaritiam denotat. Vestitus sit gravis elegans et mundus, qualem dignitas medici exiget. Totius vero corporis gestum neque humilem prae se ferat, ut contemptum mereatur neque fastu quodam atque arrogantia turgentem ut invidiam sibi conciliet. Medicum ne facile incedat cavere debere Hoffmannus docet. Ambratus ne sit aut moschatus, ut taceam, quod sit effeminati hominis, saltem hoc urgeo quod feminae a suaveolentia abhorrentes facillime in passionem hystericam incidant. Quumque medicum omnium sit horarum homo, accedere festinet sciatque turpe esse medicum ex sexcentis scriniis vestimentorum ornamenta conquirere priusquam aegrum adeat.

Est autem res maximi momenti ut medicus solidam artis suae scientiam acquisiverit theoriam medicam.

Nam in effato illo „medicus philosophus deo aequalis" id urgere voluit Hippocrates cum philosophia coniunctam esse debere artem medicam. Cum absque illa haec sit enervis, omnis disquisitis a veritate recedat, orianturque monstrosa opinionum portenta. Democrates sapientiae cogitionem dicebat medicinae esse sororem, quia ut sapientia animam ab affectibus liberat, ita medicina morbos a corporibus aufert.

Philosophiae finis est principium medicinae, ubi desinit philosophus naturalis ibi incipit medicus. Praeter philosophiam naturalem requiritur etiam alterius philosophiae cum medicina coniunctio, illius dico, quam ethicam vocant sive moralem, haec utique animae perturbationes sedat, quae sunt corrumpendae valetudinis causae infestissimae.

Prae omnibus indefesso studio technicae illae et essentialis medicinae partes, Physiologia, Pathologia, Diaetetica et Therapeutica ceteraeque scientiae subsidiariae animo firmissime comprehendendae ac die noctuque volvendae. Exercitandum igitur prius est medico in theoriae palaestra, antequam athleta medicus in praxeos descendet arenam, nec audeat aegritudinis monstrum aggredi nisi prius theoria probe instructus sit. Oportet autem non solum in adolescentia et iuventute, verum etiam ad extremum usque vitae senium medicinae incumbere cum vix tota vita sufficiat, ut gloriari aliquis possit, ita se ad eius perfectionem vel primoribus labris attigisse. Quin etiam Hippocrates de se affirmat ad finem medicinae se non pervenisse etiamsi iam senex esset.

Quicunque studiis academicis absolutis, medicinam exercere incepit, id cogitet sibi non esse vacandum a studiis, sed esse suum, faciendis in re medica progressibus, dignitatem atque auctoritatem artis suae augere, sicque etiam pro futuris servire generationibus, cum non nobis solis nati simus.

Restat nunc moderamen medici inter medicos sibi associatos et quomodo circa hos penes aegrum et circa hunc cum illis consultans se gerere debeat. Qnantumcunque confiditur medico ab aegro eiusque familia, tamen persaepius fieri solet, ut collegam peritiorem adhibeat in consilium. Ubi enim assidue urget affectio, morbusque increscit, plurima in animi angustia ad rem praesentem opportuna elabuntur. Quem quidem collegae arcessitum, quamquam proh dolor! male ab ignaris interpretatur, tamen pudore perverso vel obstinacia impulsus ne prohibeat medicus. Neque enim indecorum si medicus in rei praesentis angustia circa aegrum versatur, imperitiae etiam tenebris circumfusus, aliosquoque accersiri iubeat, quo communi consilio, quae in rem aegri sunt, disquirantur, et illi ad praesidiorum facultatem operas suas conferant.

Medico consilianti brevi conditionem priorem praesentemque aperiat, quo facto, quilibet, quod artis et conscientiae dictamen disserere, facere, et non facere iubet, exponat, adeo quidem, ut a socio prolata acta haud impliciter approbare teneatur, aut de his nil dubitare prohibeatur idem, ne huius forte incurrat meliora perspiciens. Prudentis est medici, sententiam adversariam urgente necessitate, benevole evellere non eam semper prorsus negando, vel directe eam vehementius impugnando, sed placide distinguendo ac contrariorum argumentorum vi modeste retundendo; cordati enim consiliarii medici est revellere sine iracundia et revelli sine pervicacia. Sin autem errantem cognoverit collegam, privatim eum et magna cum circumspectione monere poterit, nunquam autem ad lectum aegri absentem inculpare.

Ne medicus consultorum dicta contemnat, laceret praescripta eorum, postquam abierint, lividis coloribus depingat, ad sua redeat, eos multa quidem dixisse sed scopum non attigisse affirmet, neve iactet se melius aegri naturam cognoscere sicque melius sanitati eius consulere posse. Invidia, illud animae ulcus, malum profecto intractabile est, quod omnem feritatem immanitate morum superat. Invidiam ac avaritiam omnis improbitatis metropolin esse constat, quod inprimis animadvertere licet in perversis illis medicis, qui propriam utilitatem avara quadam crudelitate et crudeli avaritia languentium saluti anteponunt. Quanta autem auri sacra fames inter medicos vinculo tam sacro muneris obstrictos fuerit, quotque fecerit medicorum discordias atque inferias aegrorum quotusquisque est, qui ignoret! Medicos invicem sibi amicissimos esse oportet, cum hac re artis dignitas apud homines atque etiam confidentia in semet ipsos augeri soleat. Medicum ratione utentem affirmat Hippocrates alterum nunquam invidiose calumniaturum, verum id promptius facturos, qui forensem quaestum sectentur.

Luigi Angeli Imolese in praelectionibus suis consuetudo ac familiaritas qualis sit inter medicos et pharmacopolos docet: „Observet medicus, ut in praescribendis remediis non luxuriet nec in superfluis deficiat, hinc illos non imitetur, qui semper, quoties visitant, toties novum suadent et praescribunt remedium. Non praescribendum, quod opus sed quod necesse, nam artis medicae pompa ac dignitas non tam in formularum concinnitate, elegantia et copia quam in morborum curatione cernitur, neque enim refert, quam multa, sed quam bona sint quae praescribuntur. Pariter videat ut minoribus, quoad fieri potest, expensis, praescribendo medeatur haud imitando illos, qui aegros in maximas inutiles ac supervacaneas expensas praecipitant."

Equidem censeo maximam laudem sibi conciliaturum medicum, qui paucis medicamentis morbi atrocitatem tollat atque in hoc eruditionis suae perfectionem ostendat.

Sed fortasse aliquis rogaverit, num erga sanos homines etiam sint medico certa aliqua officia praestanda? Illos etiam cordi esse debere medico, iam antiquitate, qua vita civilis minus erat conformata excultaque eam que ob causam civium sanitati haud diligentius quam nostra aetate consulebatur, docuit Hippocrates effato: „sanitatis autem causa aegris praeesse praeclarum est et bene valentium curam gerere ne aegrotent. Quin et sanorum quoque cura venustatis causa suscipienda est." Gratiae quam maximae habendae sunt nostri aevi instituto, quo politia medica et forensis et privatus medicus curam valetudinis civium in custodia accuratissima habere iussi sunt.

Salutem vero aegri supremam medico legem esse summus medicinae dictator in iureiurando suo diserte pronuntiavit, quae non minimum dependet a legitima medici visitatione, utpote quae est sospitas aegrotantium, refectio debilium, spes languentium ac veluti anima felicis curationis; quod enim

vox viva praeceptoris, quod praesens magistri auctoritas apud discipulos, hoc medici praesentia est apud aegros; haec enim longe citius ac iucundius aegrotos pristinae restituit valetudini, quam si multas ampullarum exhauriant myriades, haec efficit, ut triobularia saepius medicamenta plus efficiant quam arcanorum remediorum selectissima, quia saepius tantum saltem valet medicamentum, quantum de medico sperat aeger, quantumque in eo est opinionis et auctoritatis. Neque ullum censeo maius lecto aegroti esse habendum theatrum, quo medicus genuinus virtutes sibi insitas assuetasque manifestare possit. Quantum vero fiducia aegrorum in medicos valeat in curandis morbis, illud iam poetae dictum ostendit, ex quo.

Ille plures sanat, in quem plures confidunt.

Fides ergo aegrotorum imprimis comparanda est medico si quid in illis vult efficere salutare. Fidem sibi faciet omnibus supra iam memoratis virtutibus, potissimum humanitate ac studio misericordiaque indutus medicus, cuius adventum non aliter quam angeli cuiusdam aut numinis coelitus delapsi exspectant aegrotantes.

Hasce virtutes iam incessu gestuque prae se ferat necesse est. Quamobrem ingressus ad aegrum ne sit petulans aut obstrepans vel intempestivus, sed placidus. Sedens pacate et modeste hilari facie ad aegrum conversa gravitateque cum comitate et humanitate coniuncta, de iis, quibus opus est, interroget eum, visu necessaria inspiciat aegrumque vel adstantes morbi historiam referentes patienter ac attente audiat.

Non minimum est re medium causas rescire malorum, cum morbi historiae utilitas ad praxin omnem aestimationem excedat exque historia indicationes curativae elici queant. Neque enim ait Sydenhamus, ulla est circumstantia tam levis aut exigua, quae suos usus ad utrumque non habeat. Ea de-

mum praxis eaque sola aegris opem feret, quae indicationes curativas ex ipsis morborum phaenomenis elicit, dein firmat experientia. In sciscitando vero caute et prudenter agat medicus, ne curiosa causarum indagatione illos acrius urgeat aut censorio vexet fastu.

Deinde etiam providentiam ei comparandam esse patet. Namque vix ullam medicinae partem esse credo, quae excellentiam artis et medici praestantiam adeo ostenderit, quam quae numinis instar:

Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura sequantur, praenoverit. Hoc enim apud aegros et adstantes parit admirationem, admiratio fiduciam, fiducia obedientiam, obedientia sanitatem. Quamvis sint, qui dicant, unam solummodo certam in medicina esse normam hanc: certam normam constituendam non esse, tamen suadeam, ut habet medicus certam quendam curandi methodum. Praestantia enim medici stabilisque fama non ab arcanorum iactantia sed a methodo dependet medendi „cito, tuto et iucunde.“ Et quod ad celeritatem attinet recte Hippocrates dixit: „ab omni quidem arte aliena res est procrastinatio, maxime vero a medicina, in qua vitae parit periculum.“ Inprimis igitur in morbis acutis subitum exitium minantibus oportet medicum subito applicare remedia convenientia, memor proverbii „Principiis obsta, sero medicina paratur.“ Ne vero quis credat unumquemque morbum quam citissime esse depellendum. Sunt enim morbi scilicet chronici, qui inducias patiuntur, in quibus curandis interdum subinde lentius procedat medicus et spectatorem agat cum hic optimum interdum remedium sit, nullum adhibere remedium.

Curationis celeritati iungenda est securitas veluti media inter reliquas duas, et praestantissima, sine qua ceterae frivolae ac nullae, medicus tuto mediturus utatur remediis veluti amicis paucis nempe sed longissima annorum serie approba-

tis, utatur methodo curandi haud innixa in speculationibus et hypothesibus, sed in exactissima observatione, neque eo sit contentus, ut symptomata fugaverit, sed morbum radicitus deleat. Id quoque in tuto curare habendum, si non potes prodesse, saltem ne noceas.

Iucunditatem in curando ostendat medicus et suggerendis, quae sunt aegro levamento, et in evitandis, quae eum offendunt, ut uno verbo dicam, si omnes virtutes supra memoratas, ut humanitatem, misericordiam, modestiam erga aegrotos exercet vitiaque contraria evitet.

Hanc ipsam aegrotorum curam lapidem esse constat lydium, quo medicus genuinus ac spurius differri possint. Etenim lectus aegroti habendus est campus amplissimus, in quo medicus unusquisque, quid boni malive cogitet, re efficere potest; licet hic miseriis afferre adiumenta, quae Croesi thesauris non possunt redimi, quae res animum benevolum ac propensum ad misericordiam magna afficit laetitia. At vero hic medicorum quorundam scelera, avaritia hians et imminens, animi rigor, rigida morum asperitas cum aegrotis tum ipsae arti medicae graves clades afferre solet. Ipsius enim animi duritatis opprobrium, quod tam saepe medicinam sectantibus obiicitur, ex illis maxime ortum esse penes omnes constat. Diffiteri quidem non potest, medicum, qui semper miseriis interest, sensim sensimque eo adduci posse, ut aequiore animo evadat, nec vero illa animi, ut ita dicam, lentitudo in torporem atque insensibilitatem transeat, quippe quae medicum privet stimulo, quo incitatus aegrorum rationibus optime consulat prospiciatque. Altera vero parte cavendum etiam est medico a nimia misericordia, quae menti tenebras offundit, animum firmum et stabilem frangit ac fortitudinem, ex quibus multum dependet salus aegrotantium.

Illud quoque hic mihi animadvertendum esse arbitratus sum, nonnullos medicos, cum incipiant arte sua servire ho-

minibus, nec, unde vivant, habeant, ut captent auram popularem, gratos, acceptos, humanos benignos et civiles esse solere, atque curam attentissimam abhibere aegrotis; cuius rei simulac vero fructos carpserint, atque unde vivant, abundent, superbos, fastidiosos, avaros, pigros adque insolentes evadere.

Medicum autem genuinum semper sibi constare debere censeo.

Magnus exstat aegrorum numerus, qui medici benignitatem, promptitudinem, fidem, patientiamque admodum tentant, illos intelligo, nervis male affectos. Qui quidem homines miro quodam modo cohortem querelarum proferre solent, quas in ludibrium iocumque vertere medicum minime decet, sed potius ipsos aegrotos cohortari liberaliterque oratione persequi. Quam quidem rem cum in omnibus tum potissimum in hystericis permultum valere ipse iam satis superque expertum habeo.

Interdum medici esse potest officium, se accommodandi aegroti rationibus temperaturaeque ingenii, indulgendique, quo absque damno fieri potest. Ut unum solum afferam exemplum: aegrotus vel familiarium aliquis medico commendabit remedium, quod sperat in bonum successum adhibitum iri. Qualis remediorum commendatio non nunquam vel medico peritissimo viam sanandi indicare potest aptissimam, quatenus aegrotus bonam sui ipsius scientiam habet. Sunt autem permulti, qui cum simulent hoc non convenire artis suae dignitati, re vera autem cum suis tantum inserviant commodis, talia saepius in bonum comendata, refutant. Quae si medicus animo approbat, ore profiteatur; item cur recuset persuadet aegrotis.

Multi denique medici errore decepti sunt, ministeria quaedam leviora, quae aegroto magno esse possunt levamini, dignitati suae non convenire. Equidem medicum tum demum

se abiicere censeo, cum nulla urgente necessitate partibus ac muneri alterius hominis se immixerit.

Atque hic denotandum mihi videtur aliud medicorum quorundam vitium, quod auctoritatem artis nostrae percutere solet, humilem intelligo adulationem coram hominibus honoris gradu superiore vel magnitudine pecuniarum, quae res, quamvis soleant ceteros illicere, tamen medici, cuius philosophia has res contemnit, animum obcaecare minime debent.

Sunt etiam qui negant, teneri medicum, opem ferre malis, inimicis et in extremo vitae discrimine versantibus. Equidem ego hoc inhumanum esse dico, neque medicinam divini solis instar beneficentiae suae radios ab inimicis et malevolis haud arcere oportere, sed odium vincendo medelam adhibere. Ad illos quod attinet, qui sua ipsorum culpa in morbos inciderunt, satis est, reputare, eos a Deo Optimo Maximo in iustam vocari poenam, eius enim est sontes castigare, medici vero miseris pro virili succurrere atque aegris opem ferre.

Neque hic possum, quin quorundam medicorum consuetudinem animadvertam, qui cum de salute aegroti desperent, illos deserunt, ne vanos plures efficiant impensas. Non enim tantum est medici, morbos sanare, sed etiam dolores lenire et vitae exitum reddere quam facillimum. Licet arte sua nil amplius praestare possit, tamen animum decumbentis praesertim timidiorem, quantum fieri potest, et animae salus concedit, erigat, consoletur ac spem eius, si quae effulgeat, dulciter nutriat.

Decet porro medicum esse paratum et promptum noctu aeque ac diu, si forte auxilium imploretur, nec domum suam deserat, nisi constet, quo in loco, si opus sit, inveniri queat, hinc etiam extra urbem discedens, vel prius aegrotos suos visitet et quod interea agendum sit moneat, vel fido collegae visitandos commendet.

Quod denique visitationes medici attinet, multa bonaque

a me dici possent, ni hac re incurreremus in difficultates per aegrotos ipsos oblatas.

Illud solum mihi monendum videtur ne medicus invito se obtrudat ulli, ne avaritiae culpam reportet et lucrum potius quam aegri salutem anhelare videatur, altera vero parte, quoties vitae periculum, indeque paratam saepius visitandi necessitatem cognoverit, ut, si salus aegroti ei curae est, quod summum eius est officium, deleto omni lucri inhiandi suspicio iterum atque iterum ad eum revertatur.

Hac ratione cum adumbrasse certe religiosum medici officium mihi videar, facere non possum, quin nonnulla moneam, quae cum re a me tractata cohaerent; officia enim medico tanta praestanda esse vidimus tamque sancta, quanta vix ulli alii homini sunt praescripta. Eam autem ob causam verendum mihi est, ut illa singillatim eo modo descripserim, qui rei gravitati conveniat. Sed aliquatenus ab hoc timore me liberat solatium inde paratum, quod illa officia, quam sunt difficillima cultu, tam videntur difficilia esse tractatu. Ceterum vero ex disputatione mea hoc certe collectum iri spero, vix posse satis medicorum conditioni publice consuli. Quin etiam dignum laboribus difficultatibusque, quibus medici ferme obruuntur, fructum vix ullus medicus hac in terra poterit percipere, nisi forte quisque ex illa cogitatione dulcissima, se recte egisse, et quantum valuerit, praestitisse, satis magnum sibi paratum esse praemium consuevit reputare. Est enim hoc inprimis homine dignum hominum saluti, quantum possis, opitulari atque prospicere; sumus enim profecto nati homines hominum causa, ut quam quisque utilitatem ad vitam praestare possit, eam citra invidiam in publicum conferat. Et cum nil sit melius aut honestius, aut splendidius, quam vitam servare ac tueri, praeclare faciunt, qui artis huius fructus aliis impartiri student, atque eam ob causam mihi Homerus dixisse videtur

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Nam cum arbitraretur, homini dignissimum esse bene mereri de aliis, tamen illum eximie mereri sentiebat ac praeferendum esse reliquis mortalibus, qui vitam servare soleret aut certe in re tanta operam sumeret. Est enim in magnis saepe etiam voluisse laudabile.

Quare vos adhortor, optimi adolescentes, primum ut ametis et religiose colatis medicinam, et quia valetudini vestrae prospicere solet, et quia divinis laudibus in sacris litteris ornata est nobisque commendata; deinde ut quantum quisque potest, in ea operam ponat. Non aurei montes, qui in fabulis esse dicuntur, tantum valent honestam mentem oblectare, quantum earum rerum tractatio cognitioque, quas continet medicina. Postremo cum iuvare homines sit et sanctissimum officium et homine dignissimum, date operam, ut hoc instrumentum amplissime merendi de aliis vobis comparetis. Nam ille demum recte instituit vitam, qui ad publicam utilitatem sua studia et vitae cursum refert.

VITA.

Natus sum Ioannes Baptista Beuriger Marciaci (Merzig) quod est oppidum ad Saravum situm, die XIX. mensis Augusti MDCCCXXV a patre Petro, quem adhuc vivum summa cum pietate veneror, et matre Margaretha e gente Herber, quam morte tristissima mihi arreptam usque ad cineres lugebo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Trevirense per quinque annos, tum eo relicto, Aquisgranense per unum annum frequentavi. Deinde testimonio maturitatis munitus Gryphiam me contuli, ubi auctumno anni 1847 civibus academicis a Schoemannio rectore magnifico adscriptus, scholis interfui virorum illustrium: Hünefeld, Hornschuch, Schultze, Laurer, Tillberg, Matthies, Erichson, Litzmann.

Anno sequente Bonnam reversus per triennium me delectarunt scholae viror cl. cl. Nasse, Wutzer, Harless, Kilian, Mayer, Naumann, Ern. Bischoff, Weber, Nöggerath.

Atque cum nunc in eo sim, ut relinquerem hanc almam universitatem, facere non possum, quin gratias quam maximas habeam praeceptoribus meis medicis, inprimis clinicis, Nasse, Wutzer, Kilian, Naumann, qui egregiam semper mihi praestiterunt benevolentiam atque liberalitatem.

Quibus ducibus artem medicam per duos annos exercui summa cum laetitia diligentiaque.

Qua de re, si quid boni effecero ex arte mea, his imputabo viris, optime de me meritis.

Non solum in scientia facem, sed etiam suam vitam tot tantisque praeditam virtutibus ut legem et mihi et omnibus aliis praetulerunt.

Nec reticendum mihi est de praeceptore carissimo in litterarum rudimentis, Petro Marx, parocho venerando, qui saxum in sortis meae fundamento posuit.

His omnibus viris pium gratumque semper servabo animum.

THESES.

I. *Medicus genuinus sine religione esse non potest.*
II. *Medicus ipse magnum medicamentum.*
III. *Symphysiotomia reiicienda est.*
IV. *Foetum vivum perforare non licet.*
V. *In curando typho cura exspectativa optima.*
VI. *Fistula ani in tuberculosi laborantibus non sananda.*
VII. *In curandis ulceribus dyscrasia maxime respicienda est.*
VIII. *Empyematis in bronchum aperti operatio nunquam indicata.*